



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

L. Annæi Senecæ De Constantia Sapientis, siue Qvod In Sapientem Non  
Cadit Inivria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

L. ANNÆI SENECAE  
DE CONSTANTIA  
SAPIENTIS,  
sive

QVOD IN SAPIENTEM NON  
CADIT INIURIA.

ARGVMENTVM ET ORDO.

**M**AGNI animi, magni ingenij, atque etiam eloquij hoc scriptum: uno verbo, inter optima. Editum sub tempus prioris illius puto, de Tranquillitate: cui vulgò etiam iungunt, malè. Diverſum argumentum eſt, & tali ſerie. Orditur à Stoicorum laude, quorum Paradoxum tractat, Sapientem non affici iniuriâ. Quid ergo? aiebat Serenus: non Cato contumeliis affectus, verberibus, & ſputis? Ab hac obiectione ingreditur in materiam: & Non eſt tamen iniurius, inquit: ſuit enim Sapiens, atqui in Sapientem iniuria non cadit. Quod tamen eâ mente dici ait, non vt non fiat, ſed vt non admittat. Tangi poteſt iniuriâ, ſed non ledi: à te eſſe, in illo non eſſe. C. Hac pulcherrimè exſequitur ad Cap. iv. Diuidit deinde dicenda in duas partes, idque à diſcrimine Iniuriæ & Contumeliæ. Priore, negat illam cadere in Sapientem, poſteriore, nec iſtam. De Iniuriâ, hæc ſunt argumenta. Sapiens nullius mali patiens: at malum eſt Iniuriâ. Secundum, Iniuriâ detrahit & deminuit: Sapiens nihil eripitur. habet in ſe vno omnia reſoſita, & firmiter, vt Stilpo. Tertium, Fortis ab infirmo non leditur: non ergo à Malitiâ Virus. Hic obiicitur, Atqui Socrates nonne iniuriâ damnatus? Ita, ſed ſine ſua iniuriâ. Illi intulerunt, ipſe non accepit: ſed ſapientiâ reiiecit. Sicut venenum mihi das, ego antidoto vim eius inſringo: ſcelus tu facis, ego non patior. Quartum argumentum, Iniuriâ cum Iniuſtitia mixta eſt: non hæc cadit in Sapientem: minimè ergo illa. Quintum, Sapienti nemo prodeſt: ergo nec ledit. Sextum, Iniuriâ à Spe aut Metu eſt: Sapiens neutro eorum tangitur. Septimum vltimumque, Iniuriâ nemo immotus accipit: non mouetur Sapiens. Atque hic conſuſio prioris partis, & adhortatio ad dogma animis accipiendum. Altera erat de Contumeliâ, quam explicat Cap. x. quid proprie ſit, & tum à Sapiente arcet. Primò, quia Sapiens magnitudinem ſuam nouit: non ergo contumeliâ ad eum pertinet, que nomen & rem habet à contemptu. Secundò, Superbi & inſolentes inferunt contumeliâ: ipſe tales ſpernit: itaque & ab iis iſtam. Tertio, Nemo maiorem melioremque contemnit: iſ eſt Sapiens. Ergo in ſe dicta ridet, vt in conuiuio ioculos puerorum. Sed quid fert igitur hæc omnia Sapiens? non caſtigat aut compeſcit? imò facit interdum: ſicut illoſiſſos pueros ſolemus: non quia malum ille acceperit, ſed quia hi fecerunt. Atque hæcenus (ad Cap. xiv.) in ſolam Contumeliâ, aut Iniuriâ: iam mixtum vtramque reſutat. Hoc argumento, Securitas propria eſt Sapientis: non eſt, ſi alterutram accipit, aut poteſt accipere. Simile & Epicurèi dicunt: eſt minus fortiter. Denique leuia pleraque, quibus vulgus offenditur: ſuadet reuicere, & ridere ne ridearis. Conſuſio, Quomodo eunti ad Sapientiam, Quomodo qui peruénit, ſerenda iniuriæ? Illi, cum morſu aliquo animi, & adhuc pugná; huic, ſine alterutro, & victor iam agit ante ſe vtramque, & triumphat. Ego itero, magni animi ſcriptum eſt: robur ab eo, in temporum hæc hominumque cottidianâ malitiâ, capiamus.

CAPVT

## CAPVT PRIMVM.



ANTVM inter Stoicos, Serene, & ceteros sapientiam professos interesse, quantum inter <sup>2</sup> fœminas & mares, non immeritò dixerim: cùm vtraque turba ad vitæ societatem tantundè conferat; sed altera pars ad obsequendum, altera imperio nata sit. Ceteri sapientes molliter & blandè, vt ferè <sup>3</sup> domestici & familiares medici, ægris corporibus, non quâ optimum & celerrimum est medentur, sed quâ <sup>4</sup> licet: Stoici <sup>5</sup> virilem ingressi viam, non vt amœna ineuntibus videatur curæ habent, sed vt quamprimùm nos eripiant, & in illum <sup>6</sup> editum verticem educant, qui ad eò extra omnem teli

iactum surrexit, vt supra fortunam emineat. At ardua per quæ vocamur, & confragosa sunt. Quid enim <sup>7</sup> plano aditur excelsum? Sed ne tam abrupta quidem sunt, quàm quidam putant. prima tantùm pars saxa rupesque habet, & inuij speciem: sicut pleraque ex longinquo speculantibus abscessa & connexa <sup>8</sup> videri solent, cùm aciem longinquitas fallat. Deinde propiùs adeuntibus eadem illa, quæ in vnum congesserat error oculorum, paulatim adaperiuntur: tum illis, quæ præcipitia ex interuallo apparebant, redit <sup>9</sup> lene fastigium. Nuper cùm incidisset mentio M. Catonis, indignè ferebas (sicut es iniquitatis impatiens) quòd Catonem <sup>10</sup> ætas sua parùm <sup>11</sup> intellexisset, quòd supra Pompeios & Cæsares <sup>12</sup> surgentem, infra <sup>13</sup> Vatinius posuisset: & tibi indignum videbatur, quòd illi dissuasuro <sup>14</sup> legem, toga in foro esset erepta, quòdque <sup>15</sup> à Rostris, vsque <sup>16</sup> ad arcum Fabianum, per seditiosæ factionis manus tractus, voces improbas, & sputa, & omnes alias

## COMMENTARIVS.

**C** AP. I. I. CETEROS.] *Cynicos cerè excipe. qui diuitie & robore super ipsos Stoicos: etsi dogmata tamen ferè conueniebant.*  
2. FÆMINAS.] *De Epicurèis, haud abnuam: licenter dictum in alijs.*

3. DOMESTICI.] *Diuites, illo æno, medicos domi habebant: atque eos ferè à seruis aut libertis.*

4. LICET.] *Per mollitiem ægri, cui se attemptant.*

5. VIRILEM.] *Ideò mares, ideò fortes. Noster epist. LXXVII. Amicus noster Stoicus, homo egregius, & vt verbis illum, quibus laudari dignus est, laudem, vir fortis ac strenuus. Ecce tamquam de viro, imò de milite. In epist. LXXXIV. Zenon huius sanctissimæ fortissimæque sectæ conditor. Et ita me Deus (pauca excipio) talis fuit.*

6. EDITVM VERTICEM.] *— Sapientum templa serena.*

*Despicere vnde queas alios, passimq; videre Errare, atque viam palantes querere vite.*

7. PLANO.] *Per planum. Si ad excelsa tendis, scandendum committendumque est per arrecta, & sepe aspera.*

8. VIDERI SOLENT.] *Nobis planè (nam meminè) cùm in Italiam ituri, primò vidimus Alpes.*

9. LENE FASTIGIVM.] *Quod media valles faciunt, & per cliuos in cliuos adscensus.*

10. ÆTAS SVA.] *Quid mirum? Et sua riserunt*

sæcula Maxoniden. *Inuidia hæc est nobis insita, & Naturaliter (ait Velleius) audita visis laudamus libentius, & præsentia inuidiâ, præterita veneratione prosequimur: & his nos obrui, illis instrui credimus.*

11. INTELEXISSET.] *Interpretata virtutes eius, vt decebat, esset: atque easdem deinde aestimasset.*

12. SURGENTEM.] *Et attollendum ab omnibus, si merita pendantur.*

13. VATINIOS.] *Vatinius, inter probra sui æui, ore atque animo iuxta fœdus. Sed Cato tamen ei in petitione Praturæ posî habitat.*

14. LEGEM.] *An Metelli Tribuni, qui Pompeium in Italiam cum copiis vocabat? an Cæsaris, de agro Campano diuidendo? Virique enim animosè Cato se opposuit, & per contumelias, probra, violentiam reiectus. Plutarchum & Dionem vide, & Senecam ipsum epist. xiv.*

15. A ROSTRIS.] *Vbi lex ferebatur, quæ ipse ad impediendum conscenderat.*

16. AD ARCVM.] *Qui erat in primâ Sacrà viâ, haud procul templo Faustine. Trebellium in Salonino vide, Ciceronem pro Plancio. Ascotius 11. in Verrem ita, ad hæc verba Tully, Fornicem Fabianum: Arcus est iuxta Regiam, in Sacrà viâ, à Fabio Censore constructus, qui à deuictis Allobrogibus, Allobrox cognominatus est: ibique statua eius posita propterea est.*

alias infanæ multitudinis contumelias pertulisset. Tunc ego respondi, habere te quod A Reipublicæ nomine moueris, quam hinc P. Clodius, hinc Vatinius, ac pessimus quisque vendebat: & cæcâ cupiditate corrupti, non intelligebant, se, dum vendunt, etiam que vendunt: Pro ipso quidem Catone securum te esse iussi. Nullum enim sapientem nec iniuriam accipere, nec contumeliam posse: Catonem autem <sup>18</sup> certius exemplar sapientis viri nobis deos immortales dedisse, quam <sup>19</sup> Vlixem & <sup>20</sup> Herculem prioribus sæculis. Hos enim Stoici nostri sapientes pronunciauerunt, inuictos laboribus, & contemptores voluptatis, & victores omnium <sup>21</sup> terrarum. Cato cum feris manus non contulit, quas consecrari venatoris <sup>22</sup> agrestisque est: nec monstra <sup>23</sup> igne ac ferro percutus est, nec in ea tempora incidit, quibus credi posset caelum <sup>24</sup> vnus humeris inniti, excusâ iam antiquâ credulitate, & sæculo <sup>25</sup> ad summam perducto solertiam. Cum ambitu congressus, multiformi malo, & cum potentia immensâ cupiditate, quam totus orbis <sup>26</sup> in tres diuisus <sup>27</sup> satiare non poterat, aduersus vitia ciuitatis degenerantis, & pessum suâ mole <sup>28</sup> fidentis, stetit solus, & cadentem Reipublicam, quantum modo <sup>29</sup> vnâ re. B trahi manu poterat, retinuit: donec vel abreptus, vel abstractus, comitem se diu sustentata ruina dedit: <sup>30</sup> simulque extincta sunt, quæ nefas erat diuidi. Neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem. Huic ut putas iniuriam fieri potuisse à populo, quod aut præturam illi detraxit, aut <sup>31</sup> togam? quod sacrum illud caput purgamentis oris aspersit? Tutus est sapiens, nec vllâ affici aut iniuriâ, aut contumeliâ potest.

III. Videor mihi intueri animum tuum incensum, & efferuescentem. parat acclamare: Hæc sunt quæ auctoritatem <sup>32</sup> præceptis vestris detrahant. <sup>33</sup> magna promittitis, & que ne optari quidem, nedum credi possint: deinde ingentia locuti, cum <sup>34</sup> pauperem negastis

17. VENIRE.] Nam & ipsorum libertas, atque adeo ipsi, cum republicâ peribant.

CAP. II. 18. CERTIVS EXEMPLAR.] In veteri Florido:

Quippe malo vnum Catonem, quàm trecentos Socrates: inuidendâ laude.

19. VLIXEM.] Homeri scriptis notum, qui cum sanè non patientem solum, sed diuina panem facit, ut in illo vxoris suæ primo adpectu, à viginti annis: cum ea ignorans illum, ad Plysîs sui nomen collacrumasset; ipse nihil mouetur, nec vel leuiter tenere scit, sed, ut poeta ait,

Ὀφθαλμοὶ δ' ὄρον ἴσασαν, ἢ σίδηρος: Illi oculi stabant, ut ferrum, aut cornu dura. Profectò Stoicus fuit: quid ipse? imò & Homerus, ut Stoici (magni eius miratores) volebant.

20. HERCVLEM.] Quem Cynici exemplar habebant roboris, & perfectionis. Diogenes ille, nobilis canis, dicere solitus, τὸν αὐτὸν χαερωτῆρα βίον δὴ ζῆζῶν, ἢ ὄντα καὶ ἡγεμόνῃ: eandem vitæ formam & tenorem se exicqui, quem Hercules. Et ab isto sanè Philosophorum ille, in sollenni habitu, baculus, qui claua eius respondebat: ab Vlyssè Pera, cui scilicet Minerva, ut peregrino mendico, circumposuit ἀνείκα ἀήρω, sordidam & indecoram peram.

21. TERRARVM.] Ego terrarum puto. Nam illud sanè falsum, præsertim in Vlyssè.

22. AGRESTISQUE EST.] Nec Romani nobiles in hoc studio.

23. IGNE AC.] Ausonius in XII. laboribus Herculis:

- Lernæam ferro ac face contudit Hydram.

24. VNVS.] Sive Atlantis, sive Herculis qui in succollando ei successit.

25. AD SVMMAM.] De nostro idem dixerim. vtinam cum antiquâ simplicitate, nec antiqua virtus excussâ!

26. IN TRES.] Cæsarem, Pompeium, Crassum. Lucanus: Facta tribus dominis communis Roma.

27. SATIARE.] Imò nec duos deinde (sublato Crasso) satiavit.

populique potentis, Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet orbem, Non cepit Fortuna duos.

28. SIDENTIS.] Vi grauiæ & magna adificia, fundamentis lapsantibus. Linus in eadem re, eodem verbo: Velut desidentes primò mores sequatur animo, deinde ut magis magisque lapsi sint.

29. VNA MANV.] Quæ pro uerbo afferitur infirma. Euripides: - μάχαρ χερῶν ἀδύνατος, μάχαρ: - vnus robur infirmum manus.

30. SIMVL EXSTINCTA.] Ergo vel hinc interpretemur De Tranquill. cap. xv. Cogitur simul de se ac de rep. palam facere: vtriusque funus simul aperire.

31. TOGAM.] Dum trahit, trudit, vellicat.

CAP. III. 32. PRÆCEPTIS VESTRIS.] Stoicis.

33. MAGNA PROMITTITIS.] Ipse ita Chrysippus: Διὸ καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τὰ τε μεγάθους, καὶ τὰ κάλλους, πλάσμεσι δοκούμεν ὁμοία λέγειν, καὶ ἢ καὶ τὸν ἀνθρώπων, καὶ τὸν ἀνθρωπίνου θύσαν: Quare ob excellentiam magnitudinis & pulchritudinis, videmur fabulis similia dicere, nec pro homine omnino vel humanâ naturâ.

34. PAUPEREM NEGASTIS.] Illi verò negant, in o

A stis esse sapientem, non negatis solere illi & seruum, & vestem, & tectum, & cibum desse; cum sapientem <sup>35</sup> negastis insanire, non negatis & alienari, & parum sana verba emittere, & quicquid vis morbi cogit, audere; cum sapientem negastis <sup>36</sup> seruum esse, iidem non itis infitias, & vanum iturum, & imperata facturum, & domino suo seruilia praestitutum ministeria. Ita, sublato altè supercilio, <sup>37</sup> in eadem quæ ceteri, descenditis, mutatis rerum nominibus. Tale itaque aliquid & in hoc esse suspicor, quod primâ specie pulchrum atque magnificentum est: nec iniuriam, nec contumeliam accepturum esse sapientem. Multum autem interest, vtrum sapientem <sup>38</sup> extra indignationem, an extra iniuriam ponas. Si dicis illum æquo animo laturum; nullum habet priuilegium. contingit illi res vulgaris, & quæ discitur ipsâ iniuriarum assiduitate, patientia. Si negas accepturum iniuriam, id est, neminem illi tentaturum facere; omnibus relictis negotiis Stoicus fio. <sup>39</sup> Ego verò sapientem non <sup>40</sup> imaginario honore verborum exornare constitui, sed eo loco ponere, quò nulla <sup>41</sup> permittatur iniuria. Quid ergo? nemo erit qui lacestat,   
 B qui tentet? Nihil in rerum naturâ tam sacrum est, quod sacrilegum non inueniat: sed non ideò diuina minus in sublimi sunt, si existunt, qui magnitudinem, multum ultra se positam, non icturi petant. Inuulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur. <sup>42</sup> Ex hac tibi notâ sapientem exhibeo. Numquid dubium est, quin certius robur sit, quod non vincitur, quàm quod non lacestat? cum dubiæ sint vires inexpertæ: at meritò certissima firmitas habeatur, quæ omnes incurfus respuit. Sic tu sapientem melioris scito esse naturæ, si nullius illi iniuria nocet, quàm si nulla fit. Et illum fortem virum dicam, quem bella non subigunt, nec adnota vis hostilis exteret: non cui pingue orium est, inter defides populos. Huiusmodi igitur, sapientem nulli esse iniuriæ obnoxium. Itaque non refert, quàm multa in illum <sup>43</sup> coniciantur tela, cum sit nulli penetrabilis. Quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec <sup>44</sup> secari adamas,

aut

imò solum diuitem, solum regem esse sapientem. Sed quo sensu? quem apud me videre est, *Manud.* I I I. Dissertat. III.

35. NEGASTIS INSANIRE.] Nam soli & omnes stulti insaniant, ex Stoico dogmate: sapiens minime. Horatius:

Quem mala stulticia, & quæcumque inficitia veri, Cæcum agit; insanum Chryssippi porticus & grex Autumat. hæc populos, hæc magnos formula reges,

EXCEPTO SAPIENTE, TENET.

Atqui alienatur, ut sequitur in Senecâ. Respondent, quod verbis Stoicorum dicam. Τὸν σοφὸν ἔ μὴ σέδει, ἀεὶ σπείδειται μέντοι ποτὲ ὑπὲρ φαντασίας ἀλλοτρίου, διὰ μεταβολῆν ἢ λήθησιν, ἢ καὶ τὸν ἴδιον αἰρετῆς λόγον, ἀλλὰ ὡς ἀφ' οὐσιν: Sapientem insaniam affectum non iri. Accidere tamen illi interim & euenire imaginationes absurdas, à bile atrâ vel aberratione mentis, non autem à deflexu rationis in eligendo, sed præter naturam. Plura in *Manud.* III. Dissert. XVIII.

36. SERVVM ESSE.] Imò ille solus liber. sed hæc & talia omnia ad animum referuntur & decreta sapientis, quæ nulla vis aut fortuna eripit: etsi in corpore, & quæ circa illud, mutat.

37. IN EADEM.] Ipse iterum *De Benefic.* II. cap. XXXV. A consuetudine quædam, quæ dicimus, abhorrent: deinde aliâ viâ ad consuetudinem redeunt. Et est hoc in omnibus Stoicorum Inopinatis: quæ magnificè dicta, ut animos attollant, nihil à naturâ aut bono more discunt. Interpretatione mitigantur, quod videt tamen *Plutarchus* *Aduersus* *Stoi-*

cos, & cum *Archilocheio* illo comparat: τῆ ἰδίῃ ὑπὲρ δόλο φεγγεῖουσα γυρί, τῆ δὲ αὐτῆ ἀεὶ σπείδειται: Vnâ manu aquam subdola fert, ignem alterâ.

38. EXTRA INDIGNATIONEM.] Id est, vtrum dicas eum non aestimare iniuriam, an non habere.

39. EGO VERÒ.] Hactenus *Serenus*, respondet *Seneca*.

40. IMAGINARIO.] Assimilato, non vero. Imaginarij contractus (in iure) in quibus fides facti simulatur, non intercedente veritate. Et *Seneca* Imaginaria paupertas, *epist.* XXVIIII.

41. PERMITTATUR.] *Sisenna*: Multi præmissis armis, ex summo se permitterent. *Liuius*: Concitant equos, permittuntque in hostes. *Seneca* II. *De Clem.* Etiam ad calamitosos bonitatem suam permittere. *De ipso autem Paradoxi sensu*, nos in *Manud.* III. Dissert. XVIII.

42. EX HAC NOTA.] Huius commatis & generis. *Apuleius*, pro totâ sententiâ, *De Philosophiâ*: Non enim sapiens eam contumeliam putat, quam improbus faciat, sed eam non putat, quam patientia firmiter toleret.

43. CONICIANTVR TELA.] *Idem De Irâ*, III. cap. v. At ille ingens animus, & verus aestimator sui, non vindicat iniuriam, quia non sentit. Vt tela à duro resiliunt, & cum dolore cadentis solida feriuntur: ita nulla magnum animum iniuria ad sensum sui ducit, fragilior eo quod petit.

44. SECARI ADAMAS.] *Plinius* XXXVII. cap. IV. Quippe duritia enarrabilis est, igniumque etiam victrix natura. Vnde & nomen indomita vis Græcâ interpretatione accepit.

aut cædi, <sup>46</sup> vel deteri potest, sed incurrentia vtrò retundit: quemadmodū quædam non A  
possunt igne consumi, sed flammâ circumfusâ, rigorem suum habitum: que conseruant:  
quemadmodum proiecti in altum <sup>47</sup> scopuli mare frangunt, nec ipsi vlla sauitiæ vesti-  
gia, tot verberati sæculis, ostentant: ita sapientis animus solidus est, & id roboris colle-  
git, vt tam tutus sit ab iniuriâ, quàm illa quæ retuli. Quid igitur? non erit aliquis  
IV. qui sapienti facere tentet iniuriam? tentabit, sed non peruenturam ad eum. Maiore enim  
interuallo à contactu inferiorum abductus est, quàm vt vlla vis noxia vsque ad illum vi-  
res suas perferat. Etiam cum potentes, & imperio editi, & <sup>48</sup> consensu seruientium va-  
lidi, nocere ei tentent: tam citra sapientem omnes eorum impetus deficient, quàm quæ  
<sup>49</sup> neruo tormentisve in altum exprimentur, cum extra visum exsilierunt, citra cælum ta-  
men sectantur. Quid tu putas, cum stolidus <sup>50</sup> ille rex multitudine telorum dicim ob-  
secrasset, vllam sagittam in Solem incidisse? aut demissis in profundum cathenis <sup>51</sup> Ne-  
ptunum potuisse contingi? Vt cælestia humanas manus effugiat, & ab his qui templa  
diruunt, aut simulacra constant, nihil diuinitati nocetur: ita quicquid fit in sapientem B  
proteruè, petulanter, superbe, frustra tentatur. At fatius erat, neminem esse qui facere  
vellet. Rem difficilem optas humano generi, innocentiam. At non fieri, eorum interest  
qui facturi sunt, non eius qui pati, ne si fiat quidē, non potest. Imò nescio, an magis vires  
sapientia ostendar tranquilla inter lacessentia: sicut maximum argumentum est impe-  
ratoris animis virisque pollentis, tuta securitas & in hostium terrâ. Diuidamus si tibi vi-  
detur, Serene, iniuriam à contumeliâ. Prior illa <sup>52</sup> naturâ grauior est: hæc leuior, & tan-  
tùm delicatis grauis: quâ non læduntur, sed offenduntur. Tanta est tamen animorum  
dissolutio & vanitas, vt quidam <sup>53</sup> nihil acerbius putent. Sic inuenies seruum, qui fla-  
gellis <sup>54</sup> quàm colaphis cædi malit, & qui mortem ac verbera tolerabiliora credat, quàm  
contumeliosa verba. Ad tantas ineptias peruentum est, vt non dolore tantùm, sed dolo-  
ris opinione vexemur: more puerorum, quibus metus incutit umbra, & personarum  
deformitas, & deprauata facies, lacrimas verò euocant nomina parùm grata auribus, &  
v. digitorum motus, & alia, quæ impetu quodam erroris improvidi refugiunt. Iniu-  
ria propositum hoc habet, aliquem malo afficere: malo autem sapientia non relinquit  
locum. Vnum enim malum illi est turpitudine: quæ introire eò, vbi iam virtus hone-  
stumque est, non potest: iniuria ergo ad sapientem non peruenit. Nam si iniuria alicuius  
mali patientia est, sapiens autem nullius mali est patiens, nulla ad sapientem iniuria  
pertinet. Omnis iniuria deminutio eius est, in quem incurrit. nec potest aliquis iniuriam  
accipere sine aliquo <sup>55</sup> detrimento vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra nos posita-  
rum: sapiens autem nihil perdere potest, omnia in se reposuit, nihil fortunæ credit, bona  
sua

46. VEL DETERI.] *Olim creditum, falsum ait  
Garcias Hispanicus, aliquot experimentis: Nam & in  
scobem malleolo redigi, & in mortario teri pistil-  
lo ferreo.*

47. SCOPULI.] *Eadem imago De Vita beatâ,  
cap. xxvii.*

CAP. IIII. 48. CONSENSU SERV.] *Liuius:  
Imperij vires in consensu obedientium sunt.*

49. NERVO TORMENTISVE.] *Catapultis, aut  
ballistis.*

50. ILLE REX.] *Xerxes.*

51. NEPTVNUM.] *Valerius: Grauem illum &  
mari & terra Xerxem, nec hominibus tantùm  
terribilem, sed Neptuno quoque compedes, &  
cælo tenebras mimitantem. Inuenalis:*

*Ipsam compedibus qui vinxerat Ennosigærum.  
Herodotum vide lib. vii.*

52. NATVRA GRAVIOR.] *Re ipsâ, quia dam-  
num & læsionem affert, Cap. sequenti.*

53. NIHIL ACERBIUS.] *Imò generosi animi pu-*

*tatur ille effectus, non tantùm (vt ipse autumat) deli-  
cati. Ita apud Tacitum quiescent:*

*Patior facile iniuriam, si est vacua à contu-  
meliâ.*

*Alius apud Cæcilium, gradatione:*

*Facile ærumnam ferre possum, si inde abest D  
iniuria:*

*Etiamque iniuriam, nisi contrâ constat con-  
tumeliâ.*

*Adeò illud contemni offendit, à quo contumelia. Vide  
max Cap. x.*

54. QVAM COLAPHIS.] *Nam flagella recepta  
in castigatione seruorum: at colaphis ludibrium & ir-  
risio inesse videntur, quamquam hi leuiores. Demo-  
sthenes tali affectu: Οὐδὲ γὰρ τὸ τῶν κείνων τοῖς ἰδο-  
σθένος δεινὸν, καίτοις ἐν δεινὸν, ἀλλὰ τὸ ἐπ' ἕβρη:  
Non enim verberari liberis hominibus tam gra-  
ue, et si graue, quàm quòd per contumeliam.*

CAP. V. 55. DETRIMENTO VEL.] *Ita In-  
ris consulit definitur Iniuriam, damnum culpâ da-  
tum.*

A sua in solido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget. Ideoque nec augeri, nec minui potest. nam in summum perducta, incrementi non habent locum. Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit: 56 virtutem autem non dat: ideò nec detrahit. Libera est, iniolabilis, immota, inconcussa, sic contra casus indurata, ut nec inclinari quidem, nedum vinci possit. Aduersus apparatus terribilium, 57 rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat, siue illi dura, siue secunda ostentantur. Itaque nihil perdet, quod perire sensurus sit. Vnius enim in possessione virtutis est, ex quâ depelli numquam potest: ceteris 58 precariò vitur. quis autem iacturâ mouetur alieni? Quòd si iniuria nihil lædere potest ex his, quæ propria sapientis sunt, quia virtute suâ 59 saluâ sunt: iniuria sapienti non potest fieri. 60 Megara Demetrius ceperat, cui cognomen Poliorcetes fuit. ab hoc Stilpon philosophus interrogatus, numquid perdidisset, *Nihil*, inquit: 61 omnia namque mea mecum sunt. Atqui & patrimonium eius in prædam ceslerat, & 62 filias rapuerat hostis, & patriam. At ille victoriam illi excussit: & se, vrbe captâ, non inuictum tantum, sed indemnem esse testatus est. habebat enim secum vera bona, in quæ non est 63 manus inieciò.

B At ea quæ dissipata & direpta ferebantur, non iudicabat sua, sed aduenticia, & nutum fortunæ sequentia: ideò non ut propria dilexerat. Omnium enim extrinsecus affluentium lubrica & incerta possessio est. Cogita nunc, an huic fur, an calumniator, aut vicinus potens, aut diues aliquis 64 regnum orbis senectutis exereens, facere iniuriam possit, cui bellum & hostis ille, egregiam 65 artem quassandarum vibium professus, eripere nihil potuit. Inter micantes vbique gladios, & militarem in rapinam tumultum, inter flammam & sanguinem stragemque impulsæ ciuitatis, inter fragorem templorum super deos suos cadentium, vni homini pax fuit. Non est itaque quòd audax iudices promissum:

56. VIRTUTEM NON DAT. ] Est illud Attij, apud Nonium:  
- nam si à me regnum fortuna atque opes  
Eripere quiuuit, at virtutem non quit.

C 57. RECTOS OCULOS. ] *Confidentie notam. Suetonius Augusti, cap. xv i.* Eum nec rectis oculis adspicere potuisse instructam aciem. Hierax apud Stebanum: Τὸς δὲ ὤμα' ἔλαθ' ὄφθαλμοῖς ἐλέγχοντα, ἄτ' ἰδὲν ὄφθαλμοῖς τοῖς ὄφθαλμοῖς ἀνιχέται: Qui vero per libertatem redarguunt, eos nec rectis oculis adspicere sustinet. Theocritus:  
-- ἀχθόμεαι, εἰ πύ με πολυμῆς  
Ὀμύουσι τοῖς ὄφθαλμοῖς ποτιχέλασιν:  
-- indignor, si mihi contra  
Vel rectis oculis ausis obfistere.

58. PRECARIÒ. ] At Precarij lex, uti quamdiu is patitur, qui dedit.

D 59. SALVA SVNT. ] Quid si, saluâ absunt? magis pro te & sensu.

60. MEGARA DEMETRIVS. ] Bis ea vrbs capta, hœnd multum diuerso tempore; & semper cum monumento constantie huius in Stilpone. Prior ceperat Ptolemæus Soter, & Stilponem pro magno ducens abducere, pecuniam & preces obtulit ut secum in Aegyptum iret: quod renuit, & in afflicta patria mansit. Iterum deinde iste Demetrius. & cum ei quoque notitia & cura huius viri esset, domum illi seruari, & res omnes restitui iussit. Monumentum igitur, ut scripto completeretur, nobilem hanc vocem edidit, ἡνδ' ἐν τῶν οὐρανῶν ἀποδιδόνα. πασιδ' ἔσαν ἡνδ' ἐν αἰσχροῖς ἔνα, ἄβητε λόγον ἔχον καὶ ἄσπισιον: Nihil suum amisisse. etuditionem enim neminem abstulisse, & rationem sibi scientiamque relictam. Ita enim hæc à Diogene efferuntur. Stilpo autem, cum aliâ ma-

gnus, tum hoc nomine, quòd Cratetem & Zenonem habuerit in suâ disciplinâ.

61. OMNIA NAMQUE. ] Hoc Biantis dicto magis conuenit, qui Priene sui captâ, cum alius aliud fugiens auferret: Tu nihil? Nihil, inquit. nam omnia mea mecum porto.

62. FILIAS RAPVERAT. ] Vnius filie Diogenes meminit, atque eius parum pudica.

63. MANVS INIECTIO. ] *Domini & vindicationis signum. In legibus XII.* Post deinde manus endoiectio esto. Noster Consol. ad Helu. cap. XI. Animus ipse sacer & æternus, cui non possit iniici manus. Servius in hoc Virgily: Iniecere manus Parcæ. Vfus est sermone iuris. nam manus iniectio dicitur, quoties non expectatâ auctoritate iudicis, rem nobis debitam vindicamus.

64. REGNUM ORBIS. ] Nam orbi illi gratiosi, imò imperiosi, & potentes obsequentium potentia. Captatores vndique imminabant, & subseruiebant. Ammianus: Vile esse, quidquid extra pomerium vrbis nascitur, existimant. præter orbos & cælibes: nec credi potest, quâ obsequiorum diuerfitate colantur homines sine liberis. Iuuenalis:  
— dominus tamen, & domini rex  
Si vis tu fieri, nullus tibi paruulus aulâ  
Luserit Aneas.

Cicero in Paradoxis: Hereditatis spes, quid iniquitatis seruiendo non suscipit? quem nutum locupletis orbi senis non obseruat? Adde Senecam Consol. ad Marciam, cap. XIX.

65. ARTEM QUASSAND. ] Idèd Poliorcetes Græcis, siue Urbicapus dicitur: & machinæ aliquot, & decantata illa Helepolis, ipsius inuenti fuerunt.



- sum: cuius tibi, si parum fidei habeo, sponforem dabo. Vix enim credis tantum firmi- A  
tatis in hominem, aut tantam animi magnitudinem cadere. sed si prodit in medium, qui  
VI. dicat: Non est quod dubites, an attollere se homo natus supra humana possit, an  
dolores, damna, ulcerationes, vulnera, magnos motus rerum circa se frementium securus  
adspiciat, & dura placide ferat, & secunda moderatè; nec illis cedens, nec his fretus, vnus  
idemque inter diuersa sit, nec quicquam suum, nisi se putet esse, <sup>66</sup> eâ quoque parte quâ  
melior est. Assum hoc vobis probaturus, sub isto tor ciuitatum cuerfore, munimenta in-  
cursu arietis labeferi, & <sup>67</sup> turrium altitudinem cuniculis ac latentibus fossis repente re-  
fidere, & æquaturum editissimas arces aggerem crescere: at nulla machinamenta posse  
reperiri, quæ benè fundatum animum agitent. Erepsi modo è ruinis domus, & incen-  
diis vndique relucetibus, per flammâs, per sanguinem fugi. Filias meas qui casus ha-  
beat, <sup>68</sup> an peior publico, nescio. Solus, & senior, & hostilia circa me omnia videns, ta-  
men integrum incolumemque esse censum meum profiteor, teneo, habeo quicquid mei  
habui. Non est quod me victum, victorem te credas. vicit fortuna tua fortunam meam. B  
Caduca illa, & dominum mutantia, vbi sint nescio: quod ad res meas pertinet, mecum  
sunt, mecum erunt. Perdiderunt isti diuites patrimonia; libidinosi amores suos, & ma-  
gno pudoris impendio dilecta scorta; ambitiosi curiam & forum, & <sup>69</sup> loca exercendis in  
publico vitiis destinata; sceneratores perdiderunt <sup>70</sup> tabellas suas, quibus auaritia falsò  
lata, diuitias imaginatur: ego quidem omnia integra illibataque habeo. Proinde istos  
interroga qui flent, qui lamentantur, strictis gladiis nuda pro pecuniâ corpora opponunt,  
qui hostem onerato sinu fugiunt. Ergo ita habe, Serene, perfectum illum virum, hu-  
manis diuinisque virtutibus plenum, nihil perdere. Bona eius solidis & inexcuperabili-  
bus munimentis præincta sunt. Non Babylonis illi muros contuleris, quos Alexander  
intrauit: non Carthaginis aut Numantia: mœnia, <sup>71</sup> vnâ manu capta: non <sup>72</sup> Capito-  
lium, arcemve. <sup>73</sup> habent ista hostile vestigium. Illa quæ sapientem timentur, à flammâ  
& ab incurfu tuta sunt: nullum introitum præbent, excelsa, inexpugnabilia, <sup>74</sup> diis æ-  
qua. VII. Non est quod dicas, ita vt soles, hunc sapientem nostrum nusquam inueniri. C  
Non fingimus istud humani ingenij vanum decus, nec ingentem imaginem falsæ rei  
concepimus, sed qualem confirmamus, exhibuimus, & exhibebimus. <sup>75</sup> Rarò forsitan,  
magnisque ætatum interuallis inuenitur. neque enim magna, & excedentia solitum ac  
vulgarem modum, crebrò gignuntur: ceterum hic ipse M. Cato, à cuius mentione hæc  
disputatio processit, vereor ne <sup>76</sup> supra nostrum exemplar sit. <sup>77</sup> Denique validius debet  
esse

CAP. VI. 66. EA QVOQUE PARTE.] *Id est, nec se quidem totum pro suo habet; sed animum, quo propriè est homo.*

67. TURRIUM ALTI.] *Hæc & sequentia in Poliorceticis explicauimus.*

68. AN PEIOR PUBLICO.] *Quomodo peior, si patria diruta & incensa? An quia illa renasci potuit, homini, cum semel occidit, negatum? An publicum ad vulgus aliosque, refert: qui honestè perierunt, ista cum dedecore, aut post illud viuant?*

69. LOCA EXERCENDIS.] *Nam in curiâ, comitio, foro, ambitio, auaritia, fraudes habitant; ac specie etiam honesti.*

70. TABELLAS.] *Contractuum, & cautionum. Glosse: Tabularius, φυλακτικὸς ἢ συμβολαίων: cultos contractuum. Nam tales etiam priuatim apud diuites erant. vt in epist. LXXXVIII. Cuius patrimonium tabularios lassat.*

71. VNA MANU.] *Scipionis posterioris Africani.*

72. CAPITOLIUM, ARCEMVE.] *Ergo hæc diuersa, etsi in vno Saturnio monte. Nam pars extrema, Arcem regum tempore habuit, & postea etiam sic dicta. Cicero in Catilinam: Vobis arcem & Capito-*

lium commendat. *Liuius: Serui Capitolium atque arcem occupauere. Eam à regis Diensius plus semel nominat; additq. libro x. Τὸ καπρωλιον ἵκασ ἄριστον; contiguam Capitolio esse. Spectabat in eam partem, vbi postea theatrum Marcelli fuit.*

73. HABENT ISTA.] *Ne mutemus. licet, inquit, ibi notare hostium vestigia, & capta fuere aliquando. Nonne à Tatio Sabino, & ab Ap. Herdonio duce seruorum? Itaque habent, non tantum pauent, vt mihi aliquando visum fuit, moto dubitatione aliorum.*

74. DIIS ÆQUA.] *In sorte deorum, qui tui & inaccessi.*

CAP. VII. 75. RARÒ FORSITAN.] *Nimis rarò, atque vt ipse (epist. XLII.) tanquam Phoenix, semel anno quingentesimo. Vide Manud. II. Dissert. VIII.*

76. SUPRA NOSTRUM.] *Non sapientis illius, sed super communem nostram sortem. Vir eximius fuit, & proximus vero sapienti, aut ipse.*

77. DENIQUE VALIDIUS.] *Asterisco insigniri volunt, & defectum esse. Dubito, videtur potius à digressiuncula & exemplo ad dissertadum iterum redire.*

78. INTER



A esse quod lædit, eo quod læditur: non est autem fortior nequitia virtute. non potest ergo lædi sapiens. Iniuria in bonos non tentatur nisi à malis: bonis <sup>78</sup> inter se pax est. Quod si lædi nisi infirmior non potest: malus autem bono infirmior est: nec iniuria bonis, nisi à dispari, verenda est: iniuria in sapientem virum non cadit. Illud enim iam non es admonendus, neminem bonum esse, nisi sapientem. Sed iniuste, inquis, Socrates damnatus est, iniuriam accepit. Hoc loco intelligere nos oportet, posse euenire, vt faciat aliquis iniuriam mihi, & ego non accipiam: tamquam si quis rem cum è villâ meâ furripuit, in domo meâ ponat: ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Potest aliquis nocens fieri, quamuis non nocuerit. Si quis cum vxore, tamquam cum alienâ concumbat, adulter erit, quamuis illa adultera non sit. Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam <sup>79</sup> remixtum cibo perdidit: venenum illud dando, scelere se obligauit, etiam si non nocuit. Non minùs latro est, cuius telum <sup>80</sup> oppositâ veste elusum est. <sup>81</sup> Omnia scelera etiam ante effectum operis, quantum culpæ satis est, perfectâ sunt. Quædam eius conditionis sunt, & hac vice copulantur, vt alterum sine altero esse non possit. Quod dico, conabor facere manifestum. Possum pedes mouere, vt non curram: currere non possum, vt pedes non moueam. possum, quamuis in aquâ sim, non natâre: si nato, non possum in aquâ non esse. Ex hac sorte & hoc est, de quo agitur. si iniuriam accepi, necesse est factam esse: si est facta, non est necesse accepisse me. Multa enim incidere possunt, quæ submoueant iniuriam. Vt, intentam manum deicere casus potest, & emissa tela declinare: ita iniurias qualescumque potest aliqua res depellere, & in medio intercipere, vt & factæ sint, nec acceptæ. Præterea, nihil iniustum iustitia pati potest: quia non coeunt contraria: iniuria autem non potest fieri non iniuste: ergo sapienti iniuria non potest fieri. Nec est quod mireris, si nemo potest illi iniuriam facere, <sup>82</sup> nec prodesse quidem quisquam potest. & sapienti nihil deest, quod accipere possit loco muneris: & malus nihil potest tribuere sapienti. Habere enim prius debet, quàm dare: nihil autem habet, quod ad se transferri sapiens gauisurus sit. Non potest ergo quisquam aut nocere sapienti, aut prodesse: quemadmodum diuina nec iuari desiderant, nec lædi possunt.

sapiens

VIII.

78. INTER SE PAX.] *Atque amicitia etiam: qua inter malos nunquam, sed factio tantum.*

79. REMIXTUM CIBO.] *Qui vim & acrimoniarius infregit: siue stomacho materiam reiciendi dedit. At ieiunio venena sumpta, mortifera sunt certissimo, & in venas statim eunt.*

80. OPPOSITA VESTE.] *Est Catulli illud:*

*Quare nos tela ista tua euitamus amictu: quod pulchra imagine dictum, nolim mutari. Vestis oppansa, etiam graua tela eludit: Poliorcetica nostra dicent.*

81. OMNIA SCELERA.] *Ita est, vbicumque assensus, & magis si conatus, accessit, culpa contrahitur, sepe etiam pœna.* Apuleius IV. Floridor. In maleficiis, cogitata etiam scelera, non adhuc perfecta, vindicantur, cruentâ mente, purâ manu. Noster

De Benefic. v. cap. xiv. Latro est, etiam antequam manus inquinat, qui ad occidendum iam armatus est, & habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exerctur atque aperitur opere nequitia, non incipit. Sed non confusè tamen pœna: dumtaxat in grauioribus, atque vt Apuleius dixit maleficiis, ubi boni publici interest etiam conatus infringi. Alioqui Catois Censorij illud verum (apud Agellium VII. cap. 111.) Ecquis est tandem nostrum, qui quod ad sese atinet, æquum censeat, quemquam pœnas dare ob eam rem, quod arguatur malè facere voluisse? nemo opinor. Quid nunc, ecqua lex tam acerba est, quæ dicat, Siquis illud

facere voluerit, mille nummi, dimidium familiae, multa esto: Et Iurisconsultus l. xviii. De pœnis: Cogitationis nemo pœnam luit. Item Triphoninus l. ccxxv. De verb. sig. Seruum, qui consilium fugiendi habeat, non esse fugitiuum. item furem, adulterum, alicatorem: atque oportere hæc crimina adsumpto actu intellegi. *Que vera sunt in minoribus, vel ubi tentatio accessit: in grauioribus minime, & pœnam trahunt. si tamen conatus deprehensus, & seras suo iudicio proditus. Ita in Adulterijs, Sulla puniuit voluntatem, si quis tentasset. Idem pro sicario habet, si quis cum telo, hominis occidendi causa, ambulasset. Sed & in Ambitu, Arcadius & Honorius Imperatores, pari sorte scelus, quàm sceleris puniunt voluntatem. Magis in paricidijs, veneno, talibus. Quintilianus Declam. cclxxxvi. Non enim tibi proderit dixisse, Non feci. Numquam mens exitu æstimanda est: satis est, probare animum paricidæ. Vide Maximum Tyrium in hac totâ re, Serm. 11. Adde, Theologos quosdam sic distinguere, vt quattuor faciant gradus in culpâ: Obiectum, siue primum Motum, Luctam, Assensum, & Actum. Duo priora extra culpam esse, altera, in culpâ, atque etiam pœnâ, apud Deum quidem. Theodorus Balsamo, in Can. 1111. Concilij Neocesariensis. Hæc ad ista Seneca hæud importune dicta vberius sunt.*

CAP. VIII. 82. NEC PRODESSE.] *Omnia enim sunt sapientis, Stoico scito. item, Seipso contentus est ad beatè viuendum. & Nulla re eget. Vide ar-*

tem

fapiens autem vicinus proximusque diis consistit, <sup>83</sup> exceptâ mortalitate, similis Deo. Ad illa nitens pergensque excelsa, ordinata, intrepida, æquali & concordi cursu fluentia, secunda, benigna, <sup>84</sup> bono publico natus, & sibi & aliis salutaris, nihil humile concupiscet, nihil flebit, qui rationi innixus, per humanos casus diuino incedet animo. Non habet unde accipiat iniuriam. ab homine me tantum dicere putas? nec à fortunâ quidem: quæ quotiens cum virtute congressa est, nūquam par recessit. Si maximum illud, vltra quod nihil habent iratae leges, aut saeuissimi domini, quod minentur; in quo imperium suum fortuna consumit, æquo placidoque animo accipimus, & scimus mortem malum non esse, ob hoc ne iniuriam quidem: multò facilius alia tolerabimus, damna, dolores, ignominias, locorum commutationes, orbitates, discidia. quæ sapientem, etiam si vniuersa circumueniant, non mergunt; nedum ad singulorum impulsus mareat. Et si fortunæ iniurias moderatè fert: quanto magis hominum potentium, quos scit fortunæ manus esse? **IX.** Omnia itaque sic patitur, <sup>85</sup> vt hiemis rigorem, vt intemperantiam calii, vt feruores morbosque, & cetera sorte accidentia. Nec de quoquam tam bene iudicat, vt illum quicquam putet consilio fecisse: <sup>86</sup> quod in vno sapiente est. aliorum omnium non consilia, sed fraudes, & insidiæ, & motus animorum inconditi sunt: quos casibus adnumerat. Omne autem fortuitum citra nos sauit, <sup>87</sup> & iniuriatur. Illud quoque cogita, iniuriarum latissimè patere materiam illis, per quæ periculum nobis quæsitum est: vt accusatore submisso, aut criminatione falsâ, aut irritatis in nos potentiorum motibus, quæque alia <sup>88</sup> inter togatos latrocinia sunt. Est & illa iniuria frequens, si lucrum alicui excussum est, aut præmium diu captatum, si magno labore affectata hereditas auersa est; & quæstuosæ domus gratia erepta. hæc effugit sapiens, qui nescit nec in spe, nec in metu viuere. Adhuc nunc, quod iniuriam nemo immotâ mente accipit, sed ad sensum eius perturbatur: caret autem perturbatione vir erectus: moderator sui, altæ quietis & placidæ. Nam si illum tangit iniuria, <sup>89</sup> & mouet, & impedit. caret autem irâ sapiens, quam excitat iniuriæ species: nec aliter careret irâ, nisi & iniuriâ, quam scit sibi non posse fieri. Inde tam erectus lætusque est, inde continuo gaudio clatus, adeo ad offensiones rerum hominumque non contrahitur, vt ipsa illa iniuria vsui sit, per quam experimentum sui capit, & virtutem tentat. Faueamus, obsecro vos, huic proposito, æquisque & animis & auribus assimus, dum sapiens iniuriæ excipitur: nec quicquam ideo petulantia nostrâ, aut rapacissimis cupiditatibus, aut temeritati superbiæque detrahitur. Saluis vitis vestris, hæc sapienti libertas quæritur. non vt vobis facere non liceat iniuriam, agimus: sed vt ille omnes iniurias <sup>90</sup> in altum dimittat, patientiaque se ac magnitudine animi defendat.

tem de hac re ex professo VII. De Benefic. cap. IIII. & sequentibus. An sapiens beneficium possit accipere? facitur communi modo & sensu, proprie negat. Vide.

83. EXCEPTA MORTALITATE.] O superbè! Sed sic Stoici, & noster alibi: Solo tempore sapiens à deo differt. Et Cicero eorum mente & verbis, De Nat. deor. 11. E virtutibus vita beata exsistit, par & similis deorum, nullâ re, nisi immortalitate, cedens caelestibus. Vide epist. LIII. & LIX.

84. BONO PVBLICO.] Hæc olim nos correximus, & est formula in Principum laudem crebra in lapideis monumentis. Notant primis litteris: B. P. N. vel B. R. P. N. quod valet, Bono reip. natus. Velim & pyiora legi: securus, benignus.

CAP. IX. 85. VT HIEMIS.] Apud Tacitum Cerealis ad nostros Gallos: Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cetera naturæ mala, sic luxum vel auariciam dominantium tolerate. Cicero, apud Dionem lib. XLIV. Quæ euenerunt, tanquam

nimios imbres aut grandines euenisse rati, obliuioni mandate.

86. QVOD IN VNO.] Stoicè. nam ceteri omnes stulti, & insaniunt.

87. ET INIURIATUR.] Difficilius Mureto, & totum recidit: quis probet? Scripti, & iniuria, vel iniuria habent: ego legam, citra nos sauit, etiam iniuria. Argumentatur dicam, an arguitur? Sapiens D fortuna fert, & quidquid non consilio euenit: ergo & iniuriam, quia ea à stultis, quibus non est consilij copia.

88. INTER TOGATOS.] Lites, fraudes, calumnia, quibus fortuna aut vita petitur, in foro exercentur, vel in aula: idque ab inermibus & togatis, solo lingue telo.

89. ET MOUET.] Ratiocinatio obscurior, sed ista: Iniuria ad quem venit, eum mouet; sapiens non mouetur, ergo non ad eum. Noster de Ira III. cap. XXV. Qui non irascitur, inconcussus iniuriâ perfluit: qui irascitur, motus est.

90. IN ALTVM.] Quomodo? vt in pectus recondat, & afferret? non conuenit. Meus liber, in altu. Et

A sendat. Sic in<sup>91</sup> certaminibus sacris,<sup>92</sup> plerique vicere, cadentium manus obstinatâ patientiâ fatigando. Ex hoc puta genere sapientem eorum, qui exercitatione longâ ac fide-  
 li, robur perpetuendi lassandiq̄ omnem inimicam vim consecuti sunt. Quoniam  
 priorem partem percurimus, ad alteram transeamus: in quâ quibusdam propriis, ple-  
 risque verò communibus contumeliam refutabimus. Contumelia est minor iniuria,  
 quam queri magis<sup>93</sup> quàm exsequi possumus, quam leges quoque nullâ dignam vindi-  
 ctâ putauerunt. Hunc affectum mouet humilitas animi, contrahentis se, ob factum di-  
 ctumq̄ inhonorificum. Ille me hodie non admisit, cum alios admitteret: sermonem  
 meum aut superbe auersus est, aut palam risit: & non in<sup>94</sup> medio me loco, sed imo  
 collocavit: & alia huius notæ. Quæ quid vocem, nisi querelas nauseantis animi, in quas  
 ferè delicati & felices incidunt: non vacat enim hæc notare, cui peiora instant. Nimio  
 otio, ingenia naturâ infirma & muliebria, & inopiâ veræ iniuriæ lasciuiencia, his com-  
 mouentur: quorum pars maior constat<sup>95</sup> vitio interpretantis. Itaque nec prudentiæ  
 B quicquam in se esse, nec fiducia ostendit, qui contumeliâ afficitur. non dubiè enim con-  
 temptum se iudicat: & hic morsus non sine quadam humilitate animi euenit, suppri-  
 mentis se ac descenditis. Sapiens autem à nullo contemnitur, magnitudinem suam  
 nouit: nulliq̄ tantum de se licere,<sup>96</sup> renunciat sibi: & omnes has quas non miseras  
 animorum, sed molestias dixerim, non vincit, sed ne sentit quidem. Alia sunt quæ sa-  
 pientem feriunt, etiam si non peruertunt: vt dolor corporis, & debilitas, aut amicorum  
 liberorumq̄ amissio, & patriæ bello flagrantis calamitas. Hæc non nego sentire sapien-  
 tem. nec enim lapidis illi duriciam ferrivæ asserimus. nulla virtus est,<sup>97</sup> quæ non sentias,  
 perpeti. Quid ergo est? Quosdam ictus recipit: sed receptos euincit, sanat, &  
 comprimit. hæc verò minora ne sentit quidem, nec aduersus ea solitâ illâ virtute vitur  
 dura tolerandi: sed aut non annotat, aut digna risu purat. Præterea, cum magnam par-  
 tem contumeliarum superbi insolentesq̄ faciant, & malè felicitatem ferentes: habet  
 quo illum affectum inflatum respuat, pulcherrimam virtutem omnium,<sup>98</sup> animi sa-  
 C nitate, magnitudinemq̄. illa, quicquid huiusmodi est, transcurrit, vt vanas somnio-  
 rum species, visusq̄ nocturnos, nihil habentes solidi, neque veri. Simul illud cogitat,  
 omnes inferiores esse, quàm vt illis audacia sit, tanto excelsiora despiciere. Contumelia à  
 contemptu dicta est: quia nemo, nisi quem contempserit, tali iniuriâ notat. nemo autem  
 maiorem melioremq̄ contemnit, etiam si facit aliquid quod contemnentes solent.  
 Nam & pueri os parentum feriunt, & crines matris turbauit laceravitq̄; infans, & spuro  
 asperfit, aut nudauit in conspectu suorum tegenda, & verbis obscœnioribus non pe-  
 percit:

X.

XI.

tu. Et posset, in alio, legi: quasi ipse in alio & subli-  
 mus, dimittat iniurias spernatq̄. sed verius, inul-  
 tus, vnâ voce. Non timete, inquit, vos procaces &  
 iniuriosi: non accipit iniurias, nec agnoscit quidem,  
 & sine vindictâ transiit.

91. CERTAMINIBVS SACRIS.] Ita di-  
 D di Græcia agones, quia diis vel heroibus sacrati.  
 Ausonius:

Quattuor antiquos celebravit Achaia ludos,  
 Cælicolum duo sunt, & duo festa hominū.  
 Sacra Iouis, Phœbiq̄, Palæmonis, Arche-  
 moriq̄.  
 Serta quibus pinus, malus, oliua, apium.

92. PLERIQVE.] Pugiles nempe, quorum ce-  
 lebre ibi spectamen.

CAP. X. 93. QVAM EXSEQVI.] Vindicare,  
 vltisci. Suetonius Iulij cap. LXVII. Vespasiani XIII.  
 Seneca de Ira 1. cap. XII. & plures.

94. MEDIO ME LOCO.] Qui honestissimus,  
 in ambulando, sedendo, accubando. Alij libri, lecto:  
 ut & meus ille bonus. At sanè medijs lectus hone-

stissimus item fuit, ex Plutarchi Quæst. Conuiuial.  
 lib. 1. Quæst. III. quem vide. Si non eo refers, lege  
 medio me lecti.

95. VITIO INTERPRETANTIS.] Qui in con-  
 temptum scilicet & deterricem partem trahimus: bo-  
 ni in meliorem. vt Aristippus ille, Diomysio se in imo  
 locanti: Hunc, inquit, locum ô rex illustrem & ho-  
 nestum deinceps vis reddere.

96. RENUNCIAT SIBI.] Sibi dicit. Consol. ad Po-  
 lyb. Potest ista res à luctu te prohibere si renuncia-  
 ueris tibi, nihil horum quæ facis posse subduci.  
 Fabius lib. XI. Sed ij primùm renunciant sibi,  
 quanta sit ingenij humani vis. Terentius: Id ego  
 iam nunc tibi here renuntio futurum.

97. QVÆ NON SENTIAS.] Eâ mente Plato Dio-  
 genti Cynico, in frigore statuam marmoream nudo cor-  
 pori applicanti, Numquid sentis? & negante illo,  
 Quid ergo magnum facis?

CAP. XI. 98. ANIMI SANITATEM.] Pro-  
 priam sapientis, cum alij scilicet stulti, id est insani.  
 Quid autem ea est recta decreta animi, duce Ratione.

99. MAN-

percit: & nihil horum contumeliam dicimus. quare? quia qui fecit, contemnere non potest. Eadem causa est, cur nos<sup>99</sup> mancipiorum nostrorum urbanitas, in dominos contumeliosa, delectet: quorum audacia ita demum sibi<sup>100</sup> in conuiuas ius facit, si cepit à domino. Ut quisque contemptissimus, & ut maximè ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est. <sup>101</sup> Pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam accuunt, & sub magistro habent, qui probra meditate effundant: nec has contumelias vocamus, sed argutias.

XII. Quanta autem dementia est, iisdem modò delectari, modò offendi: & rem ab amico dictam, maledictum vocare, à seruulo, ioculari conuicium? Quem animum nos aduersus pueros habemus, hunc sapiens aduersus omnes, quibus etiam post iuuentam canosque<sup>102</sup> puerilitas est. An quicquam isti profecerunt, quibus animi mala sunt, auctique in maius errores, qui à pueris magnitudine tantùm formaque corporum differunt: ceterùm non minùs vagi incertique, voluptatem sine dilecti appetentes, trepidi, & non ingenio, sed formidine quieti? Non ideò quicquam, inter illos puerosque, interesse quis dixerit, quòd<sup>103</sup> illis talorum nucumque & æris minuti B auaritia est; his auti argenti que & urbium: quòd illi inter ipsos magistratus gerunt, & prætextam<sup>104</sup> fascisque ac tribunal imitantur; hi eadem in campo foro que & in curiâ ludunt. illi in littoribus arenâ congestâ simulacra domuum excitant; hi ut magnum aliquid agentes, in lapidibus ac parietibus, & tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inuenta,<sup>105</sup> in periculum verterunt. Ergo par pueris, longiusque progressis, sed in alia maiora que error est. Non immeritò itaque horum contumelias sapiens, ut iocos, accipit: & aliquando illos, tamquam pueros, malo pœna que admonet, & afficit: non quia accepit iniuriam, sed quia fecerunt, & ut desinant facere. Sic enim & pecora verberare domantur: nec irascimur illis, cum sessorem recusauerint: sed compefcimus, ut dolor contumaciam vincat. Ergo & illud solum scies, quod nobis opponitur, Quare si non accepit iniuriam nec contumeliam sapiens, punit eos qui fecerunt: non enim se vlscitur, sed illos emendat.

XIII. Quid est autem, quare hanc animi firmitatem non credas in virum sapientem cadere, cum tibi in aliis idem notare, sed non ex eadem causa liceat? Quis enim phrenetico medicus irascitur? quis febricitantis, & frigidâ prohibiti maledicta, in malam partem accipit? Hunc affectum aduersus omnes habet sapiens, quem aduersus ægros suos medicus: quorum nec obscœna, si remedio egent, contractare, nec<sup>106</sup> reliquias & <sup>107</sup> effusa intueri dedignatur, nec per furorem fauentium excipere conuicia. Scit sapiens, omnes hos qui<sup>108</sup> togati purpuratique incedunt, <sup>109</sup> valen-

99. MANCIPIORVM.] Quo in genere Copriæ, ut in Suetonij Tiberio cap. LXI. Claudij, cap. VIII. qui Suida καπριοι ἀνδρες, & Aristophani, initio Irenes, καπρελογοί. Vbi Scholiastes vult Rhetoras notari, ὡς μισαεγός καὶ λαϊδὸς θεός: ut fœdos & conuiciatores.

100. IN CONVIVAS.] Nam hoc genus in mensis. Plinius lib. IX. epist. XVII. Scurræ, cinædi, moriones mensis ineratant. Linius XXXIII. Cum in publico epulatus domum reuenteretur, prosequentibus mollibus viris, qui ioci causâ conuiuio celebri interfuerant.

101. PVEROS QVIDEM.] Statius:  
Non ego mercatus Phariâ de puppe loquaces  
Delicias, doctumque sui CONVICIA Nili  
Infantem, LINGVAQUE simul SALIBVSQUE  
PROTERVVM.

Imò & conuiuas tenuiores, sportula largitione quasi emebant, ut y ferrent. Lucanus, siue quis auctor carminis ad Pisonem:

Sed miserum, (clientem) parua stipe munerat,  
ut pudibundos

Exercere sales inter conuiuia possit.

CAP. XII. 102. PVERILITAS EST.] Seneca epist. IV. Maius gaudium exspecta, cum te Philosophia in viros transcripserit. Adhuc enim non pueritia in nobis, sed, quod est grauius, puerilitas remanet.

103. ILLIS TALORVM.] Noster epist. CXV. Quid interest? nisi quòd nos circa staturas & tabulas insanimus, carius inepti? Illos reperti in litore calculi delectant: nos ingentium maculae columnarum.

104. FASCESQUE AC TRIB.] Spartianus in Seneca: In primâ pueritiâ nullum alium ludum, nisi ad Iudices exercuit: cum ipse prælatis fascibus ac securibus, ordine puerorum circumstante, iudicaret. Plutarchus in Catone: Ludus erat, iudicia, accusationes, damnatorum abductiones.

105. IN PERICVLVM.] Ob ruinas crebras, ex mole & altitudine.

CAP. XIII. 106. RELIQUIA S.] Alui excrementa.

107. EFFVSA.] Vesica.

108. TOGATI PURPURATIQUE.] Non quia Toga è purpurâ, sed quia purpurâ prætexta, in magistratibus

A<sup>109</sup> valentes coloratosque, malè sanos esse: quos non aliter videt, quàm ægros intemperantes. Itaque ne succenset quidem, si quid in morbo petulantius ausi sunt aduersus medentem: & quo animo honores eorum nihilo aestimat, eodem parùm honorificè facta. Quemadmodum non placet sibi, si illum mendicus coluerit, nec contumeliam iudicabit, si illi homo plebis vltimæ salutanti mutuam salutationem non reddiderit: sic nec se suspiciet quidem, si illum multi diuites suspexerint. scit enim illos nihil à mendicis differre, imò inferiores esse. illi enim exiguo, hi multo egent. Et rursus non tangetur, si illum rex Medorum, <sup>110</sup> Attalusve Asiæ, salutantem silentio ac vultu arroganti transferit. scit statum eius non magis habere quicquam inuidendum, quàm eius cui in magnâ familiâ cura obtigit, ægros insanosque compefcere. Num molestè feram, si mihi non reddiderit nomen aliquis ex his, qui <sup>111</sup> ad Castoris negotiantur, nequam mancipia ementes vendentesque, quorum tabernæ pessimorum seruorum turbâ refertæ sunt: non, vt putò. quid enim is boni habet, sub quo nemo nisi malus est? Ergo vt huius humanitatem inhumanitatemque negligit, ita & regis. Habes sub te Parthos, Medos, & Bactrianos: sed quos metu continet, sed propter quos <sup>112</sup> remittere arcum tibi non contingit, sed postremos, sed vanales, sed nouum aucupantes dominum. Nullius ergo mouebitur contumeliâ. Omnes enim inter se differunt: sapiens quidem pares illos, ob æqualem stultitiam, omnes putat. Iam si semel se demiserit eò, vt aut iniuriâ moueatur, aut contumeliâ; non poterit vinqum esse securus: securitas autem proprium bonum sapientis est. Nec committet, vt vindicando sibi contumeliam factam, honorem habeat ei qui fecit. necesse est enim, à quo quisque contemni molestè fert, suspici gaudeat.

Tanta quosdam dementia tenet, vt contumeliam sibi posse fieri putent à muliere. x i v.  
Quid refert, quantum habeat, <sup>113</sup> quot lecticarios, quàm <sup>114</sup> oneratas aures, quàm <sup>115</sup> laxam

stratibus quidem. Aliter etiam purpurati, quia diuiores Lacernas sumebant improbi coloris, vt ipse alibi appellat: id est è purpurâ totas. Martialis:

Illas purpureas & arrogantes,  
Iussit surgere Lectus lacernas.

Satyricus: — cui circum humeros hyacinthina lana est.

109. VALENTES COLORATOSQUE.] Muretus aliter, atque alio sensu, vocem valentes eiecit. (est ea in prisca sanè libris) & legit: inter coloratos maleque sanos esse. Itaque illud Coloratos ad pallorem, iurorem, aut morbi notas duxit. Nostra lectio & sensus (meo sensu) melior: Hi quos vides, inquit, facie valentes & benè tinctos, colore sortium, isti omnes male sunt & ægri. Nempe à corpore valent, ab animo ægrotant. Ita Seneca, De Vita beat. cap. vii. Virtus puluerulenta, colorata, robusta est: Voluptas contraria, eneruis, pallida, fucata. Verba igitur Seneca, sic exaudienda quasi esset, valentes colorati que: & postis ita legere, etsi altera ordinatio iucem proba.

110. ATTALVSVE ASIÆ.] Reges Pergami primo, & postea in parte minoris Asiæ, plerique Attali dicti. Itaque quasi nomen commune, & imperij illius, inualuit: quasi dicam, Ptolomæus Ægypti, Antiochus Syriæ.

111. AD CASTORIS.] Alij, ad castra. & scio equidem mangones secutos etiam castra, quia plerumque ibi mancipia vanalia è prædâ. Sed hic de ipsâ vrbe sermo: & rectè ad Castoris, id est templi, quod in Romano foro fuit: & iuxta, vt hinc discimus, tabernæ vanalium seruorū. Sic enim acciperim. & de Mangonibus ipsis, qui nequam seruos vendunt emunt ve. At alij tamen, quasi de Seruis ipsis, qui officina præ-

fecti vendunt aut emunt. Verba sequentia damnant.

112. REMITTERE ARCVM.] Quidam, animum: male. Nam ad morem Parthorum regum respicit, quibus pro insigni Arcus, & simul ad terrorem. Dio libro x l i x. legatos Antonij à Phraate auditos scribit: cum ipse in aureâ sellâ sederet, neruum arcus pullans, multisque verbis in Romanos inuectus. Statius, de nouo rege, eiusque, insignibus:

Sumere tunc ARCVS, ipsumque onerare veretur  
Patris equum, visusque sibi nec scepra capaci  
Sustentare manu, nec adhuc implere tiamam.  
Sed & Turcici reges tale. ac Busbequius olim noster,  
de Solymano: Sedebat in folio humili, instrato,  
iuxta autem arcus & sagittæ.

CAP. XIV. 113. QVOT LECTICARIOS.] Nam diuites, viri feminæque, hexaphoro vel octophoro vehebantur: id est gestamine sex vel octo baiulorum. At tenuiores, vel duobus contenti erant. Nos 1. Elektor. cap. de Lecticâ.

114. ONERATAS AVRES.] Lucanus:  
— colloque, comisque

Diuitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.  
Seneca, De Benefic. vii. cap. 1 x. Video vniones,  
non singulos singulis auribus comparatos: iam enim exercitæ aures, oneri ferendo sunt. Claudianus:  
— colla monili

Circuit, & baccis onerat cendentibus aures.  
Horatius:

Nec fit marita, quæ rotundioribus  
Onusta baccis ambulet.

115. LAXAM SELLAM.] In quâ feratur. Diuites enim eâ patientiore: vt in Martiali:  
Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit.

xam sellam? æquè <sup>116</sup> impudens animal est, & nisi scientia accessit ac <sup>117</sup> multa eruditio, A  
<sup>118</sup> ferum, cupiditatum incontinens. Quidam se <sup>119</sup> à cinerario impulsos moleste ferunt,  
 & contumeliam vocant ostiarij <sup>120</sup> difficultatem, nomenclatoris <sup>121</sup> superbiam, <sup>122</sup> cu-  
 bicularij supercilium. O quantus inter ista risus tollendus est, quantâ voluptate imple-  
 ndus animus, ex alienorum errorum tumultu, contemplanti quietem suam! Quid ergo?  
 sapiens non accedet ad fores, quas durus ianitor obsidet? Ille verò, si res necessaria voca-  
 bit, experietur, & illum, quisquis erit, <sup>123</sup> tamquam canem acrem, obiecto cibo leniet:  
 nec indignabitur aliquid impendere, vt limen transeat, cogitans & <sup>124</sup> in pontibus qui-  
 busdam pro transitu dari. Itaque illi quoque, quisquis erit, qui hoc <sup>125</sup> salutationum pu-  
 blicum exercet, donabit: scit emere venalia. Ille pusilli animi est, qui sibi placet, quòd  
 ostiario liberè respondit, quòd <sup>126</sup> virgam eius fregit: quòd ad dominum accessit, <sup>127</sup> &  
 petiit corium. <sup>128</sup> Facit se aduersarium qui contendit, & vt vincat, par fuit. At sa-  
 piens colaphis percussus, quid faciet? quod Cato, cum illi os percussum esset: non ex-  
 canduit, non vindicauit iniuriam: ne remisit quidem, sed <sup>129</sup> factam negauit. Maiore B  
 animo non agnouit, quàm ignouisset. Non diu in hoc habebimus. quis enim nescit,  
 nihil ex his quæ creduntur bona aut mala, ita videri sapienti, vt omnibus? Non respicit  
 quid homines turpe iudicent, aut miserum: non ita quæ populus: sed <sup>130</sup> vt sidera con-  
 trarium mundo iter intendunt, ita hic aduersus opinionem omnium vadit. Desinite  
 itaque dicere: Non accipiet ergo sapiens iniuriam, si cædetur? si oculus illi eruetur? non  
 accipiet contumeliam, si obscenorum vocibus improbis per forum agetur: si in <sup>131</sup> con-  
 uiuiu

116. IMPVDENS ANIMAL.] *Itane de feminis, & Annæ, & Paulina tua hæc leget? Legat, res dicenda est, quam tecum & Cato, apud Lium lib. xxxiv. Impotens naturâ, & indomitum animal. Antè omnes Homerus:*

Ὡς ἐν ἀνδρείῳ, ἢ κύνες ἐν ἄλλο ζῴωνδε:

Nil grauius, nil improbius, quàm femina, viuit.

117. MVLTA ERVDITIO.] *Vis tu igitur doctam & sciolam esse? Poeta & ratio negant: nec literis ad virtutem, sed ad libidines & fraudes vit. At Seneca mens de eruditione, Stoico sermone & sensu: id est, vt Philosophiâ imbuatur, & seuerioribus illis studiis, non amœtoribus formetur. Ita & vellet suam matrem sapientiæ studiis imbutam: Consol. ad Heluiam, cap. xvi.*

118. FERVM.] *Alius Seneca:*

— nulla non melior fera est.

119. A CINERARIO.] *Glossa: Cinerarius, δ᾿ ἄλλος ἰταίρος: amicæ seruus. Idem est, qui Cimiflo, & explicatur γυναικῶν κοσμητὴς, ornator mulierum. Itaque isti proximi Domine, & sectabantur. Horatius:*

\* Vide Epist. lib. 1. cap. 11.

Custodes, lectica, ciniflones, parasiti. Tertullianus lib. 11. ad Vxor. Vnde, nisi à Diabolo, maritum petant, bonum exhibendæ sellæ, & mulabus, & cinerarius peregrinæ proceritatis? Impulsos igitur ab eis significat, dum viam domine faciunt, velut priuati apparitores.

120. DIFFICVLTATEM.] *Non admittentis.*

121. SVPERBIAM.] *Nomen tuum suggerere de-  
 dignantis, aut non resalutantis.*

122. CVBICVLARII.] *Serui à cubiculo, & admisionibus interioribus.*

123. TAMQVAM CANEM.] *Bona allusio. nam & ianitores canem alligatum iuxta ostium habebant, ad suscitandum: & ipsi catenâ adstricti, vt canes.*

124. IN PONTIBVS.] *Vestigalis genus, de quo in Admirandis nostris aliquid, lib. 11. cap. 1.*

125. SALVTATIONVM.] *Ita & meus optimus liber: alij plerique, saluatorum, etiam bene, & eodem sensu. Publicum exercere dicuntur, qui vestigalia publica redimunt, inde Publicani. Nam Publicum, ipsa τὰ δημόσια, in Glossis. Seneca epist. cxx. Qui ad publica quoque accesserat. Epist. cxx. Quod agitarem publicum. Plautus: Illa, non ego, habuit publicum. Facitè autem sic appellat, quia pro admisione ad salutandum, pecuniola dabatur. Iuuenalis: — quid das, vt Cossum aliquando salutes? Publicum igitur salutationum, vt publicum salis, vini. quod exercet is, qui conduxit, & praest.*

126. VIRGAM EIVS.] *Hanc gestabant, ad amolendum aut submouendum indignos, vel importunos. Arundinem plurimum fuisse Petronius indicat: Et arundinem ab ostio rapuit, iterumque nil respondentem mulcauit. Propertius:*

Nec crepuit fissâ, me propter, arundine custos.

127. ET PETIIT CORIVM.] *Id est, ait Muretus, petiit vt Hostiarius vapulet, & sibi de corio eius factu fiat. Sensum non improbo, phrasim quis è Latino mihi praestat? Ego olim volebam: petiit lorum. Nam loris siue flagellis serui vapulabant, atque ea hoc sine petebant. Plautus: Ite istuc, atque efferte lora. Neque nunc melius habeo: etsi libri aliter. è quibus meus, accessit petens corium: quidam, accessit petitorium: alij, petiit torum, ex quo nonnemo torum, quasi esset, rectè accessit ad dominum decumbentem.*

128. FACIT SE ADV.] *Id est, Quisquis opponit se, idem & componit: & quamuis superet, in aquo cum eo stetit.*

129. FACTAM NEGAVIT.] *Hoc tale fuit. Percussit aliquis Catonem in balneo insciens. Excusanti, & satisfaciendi, Cato, Non memini, inquit, me percussum.*

130. VT SIDERA.] *Planeta, vel errone.*

CAP. XV. 131. CONVIVIO REGIS.] *Ita appellabant, potentem aliquem, & quem colebant ac sectabantur.*

A contiuio regis, recumbere infra mensam, vescique<sup>132</sup> cum seruis ignominiosa officia fortis iubebitur? si quid aliud ferre cogetur eorum, quæ excogitari pudori ingenuo molesta possunt? In quantumcumque ista vel numero, vel magnitudine creuerint, eiusdem naturæ erunt. Si non tangent illum parua, ne maiora quidem: si non tangent pauca, ne plura quidem. Sed ex imbecillitate vestra coniecturam capitis ingentis animi: & cum cogitatis, quantum puteris vos pati posse, sapientis patientiæ paullo vltiorem terminum ponitis. At illum in aliis mundi finibus sua virtus collocavit, nihil vobiscum commune habentem. Quare etsi aspera, & quantumcumque toleratu graua sint, audituque & visu refugienda, non obruetur eorum cœtu: & qualis singulis, talis vniuersis obfistet. Qui dicit illud tolerabile sapienti, illud intolerabile, & animi magnitudinem intra certos fines tenet: malè agit. vincit nos fortuna, nisi tota vincatur. Nec putes istam Stoicam esse duritiam: Epicurus, quem vos patronum inertiae vestrae assumitis, putatistque mollia ac desidiofa præcipere, & ad voluptates ducentia: <sup>133</sup> *Rarò, inquit, sapienti interuenit fortuna.* Quàm pænè emisit viri vocem! Vis tu fortiùs loqui, & illam ex toto submouere? Domus hæc sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu, sine apparatu, nullis obseruatur ianitoribus, turbam<sup>134</sup> vernali fastidio digerentibus: sed per hoc limen vacuum, & ab ostiariis liberum, fortuna non transit. scit<sup>135</sup> non esse illic sibi locum, vbi sui nihil est. Quòd si Epicurus quoque, qui corpori plurimum indulfit, aduersus iniurias exurgit: quid apud nos incredibile videri potest, aut supra humanæ naturæ mensuram? Ille ait iniurias tolerabiles esse sapienti, nos iniurias non esse. Nec est, quòd dicas hoc naturæ repugnare. Non negamus<sup>136</sup> rem incommodam esse, verberari & impelli, & aliquo membro carere: sed omnia ista negamus iniurias esse. non sensum illis doloris detrahimus: sed nomen iniuriæ, quod non potest recipi virtute saluâ. Vter veriùs dicat, videbimus: ad contemptum quidem iniuriæ vterque consentit. Quæris quid inter duos intersit? Quod inter gladiatores fortissimos. quorum alter premit vulnus, & stat<sup>137</sup> in gradu; alter respiciens ad clamantem populum, significat nihil esse, & <sup>138</sup> intercedi non patitur. Non est, quòd putes magnum, quo dislidemus. <sup>139</sup> Illud quidem agitur, quod vnum ad nos pertinet, vtraque exempla hortantur contemnere: & iniurias, & quas iniuriarum vmbras ac suspiciones dixerim, contumelias. ad quas despiciendas non sapienti opus est viro, sed tantum conspiciente, qui sibi possit dicere: Vtrum meritò mihi ista accidunt, an immeritò? Si meritò, non est contumelia, iudicium est. si immeritò: illi qui iniusta facit, erubescendum est. Et quid est illud, quod contumelia dicitur? in capitis mei<sup>140</sup> leuitatem iocatus est, & in oculorum valetudinem, & in crurum gracilitatem, & in staturam. Quæ contumelia est, <sup>141</sup> quod apparet, audire? Coram vno aliquid

XVI.

*Et abantur. An ad Caligule etiam factum allusum, qui Pomponium Secundum, tunc Consulem, publico epulo ad pedes suos sedere iussit, ibique cibum capere?*

132. CVM SERVIS.] *Qui non in lecto, sed in subsello iuxta lectum, sedentes solent vesci. Donatus in vita Terentii: Iussus autè Cæcilio recitare, ad cenantem cum venisset, quòd erat contemptiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse dicitur. post paucos verò versus, inuitatus vt accumberet, cænasse vnâ. Apud Plautum, serui, in Stichis:*

Potius in subselliis Cynicè accipiemur, quam in lecto.

*Apud eundem Parasitus:*

Non postulo equidem med in lecto accubere, Scis ni med esse imi subsellij virum.

133. RARÒ SAPIENTIS.] *Id est, non saepe eum interpellat, mutat, aut ius in eum habet.*

134. VERNALI FASTIDIO.] *Quidam libri, studio, sed illud placet. Intellegit disponi ab his intran-*

*tes, & cum fastu ac fastidio eligi, vt quisque dedit aut daturus speratur. Vernalis igitur, quia pro pecunia ponunt aut sumunt. Sunt illi canes, qui obiectâ offâ placantur, cap. superiore.*

135. NON ESSE.] *Eius sensu, qui non admittit.*  
CAP. XVI. 136. REM INCOMMODAM.] *Inter Stoicorum ἀποπρονομήσια. Nam ἀπρονομήσια, Commoda dicuntur.*

137. IN GRADU.] *Non fugit, non item deicit se aut submittit.*

138. INTERCEDI.] *A populo, qui solet in fauorabili gladiatore preces interponere apud editorem, atque eum liberare. Vide Saturnal. nostra, lib. II. cap. XXII.*

139. ILLUD QUIDEM.] *Alij libri, Illud quoque. Tu lege: Illud quo de agitur, quod vnum ad nos pertinet, vtraque exempla hortantur.*

140. LEVITATEM.] *Id est, caluitium. Tibullus: - cui leuia fulgent*

Ora, nec amplexus hispida barba terit.  
141. QVOD APPARET.] *Quod in oculis est, & ab omnibus conspicitur.*

Q 2

CAP.

aliquid dictum ridemus, coram pluribus indignamur: & eorum aliis libertatem non A relinquimus, quæ ipsi in nos dicere assueverunt. locis temperatis delectamur, immodicis irascimur. Chrysiptus ait quædam indignatum, quod illum aliquis <sup>142</sup> *Veruecem marinum* dixerat. In senatu flentem vidimus Fidum Cornelium, <sup>143</sup> Nasonis generum, cum illum Corbulo <sup>144</sup> *Struthiocamelum* <sup>145</sup> *depilatum* dixisset. Aduersus alia maledicta, mores & vitam conuuluerantia, frontis illi firmitas constitit: aduersus hoc tam absurdum lacrimæ procciderunt. tanta animorum imbecillitas est, ubi ratio discessit. Quid quod offendimur, si quis sermonem nostrum imitatur, si quis incessum, si quis vitium aliquod corporis aut linguæ exprimit? quasi notiora illa fiant alio imitante, quam nobis facientibus. Senectutem quidem inuiti audiunt, & canos, & alia, ad quæ voto peruenitur. Paupertatis maledictum quosdam perussit: quam <sup>146</sup> sibi obiecit, quisquis abscondit. Itaque materia petulantibus, & per contumeliam vrbis detrahitur, si vltro illam & prior occupes. nemo aliis risum præbuit, qui ex se cepit. Vatinius hominem natum & <sup>147</sup> ad risum, & ad odium, scurram fuisse venustum ac dicacem, memoriæ proditum est. in B <sup>148</sup> pedes suos ipse plurima dicebat, & in <sup>149</sup> fauces concisas: sic inimicorum, <sup>150</sup> quos plures habebat quam morbos, & in primis Ciceronis vrbinitatem effugit. Si ille hoc potuit duritiæ oris, qui assiduis conuiciis depudere didicerat: cur is non possit, qui studiis liberalibus, & sapientiæ cultu, ad aliquem profectum peruenierit? Adice, quod genus vitionis est, eripere ei qui fecit contumeliæ in sensu, & indignatione, patientis est. Deinde non deerit illi <sup>151</sup> aliquando par: inuenietur, qui te quoque vindicet. C. Cæsar inter cetera vitia, quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur <sup>152</sup> omnes aliquam notam ferendi, ipse materia risus benignissima. Tanta illi <sup>153</sup> palloris <sup>154</sup> insaniam testantis fœditas erat, tanta oculorum sub <sup>155</sup> fronte anili latentium toruitas, tanta capitis destituti, & <sup>156</sup> emendicatis capillis aspersi deformitas. adice obsessam setis ceruicem, & exilitatem crurum, & enormitatem pedum. Immensum est, si velim singula referre, per quæ C

CAP. XVII. 142. VERUECEM MARINVM.] *Veruecx, in stupidos & fatuos conuicium. In Plauto: O veruecx! & alibi, Veruecium caput. Sed cur marinus? negari displicet, nescio. Sunt vituli, canes, porci marini, an & oues? Sed si oues: unde factus illic veruecx? Itaque absurdus locus est, & in hominem fatuum ipse fatuus.*

143. NASONIS GENERVM.] *Quidam, quæ vox ipsa in meo & quibusdam libris addita. Filiam autem habuit, & quidem in Africa, tunc cum relegatus est. Ipse i. Trist.*

Nata procul Libycis aberat diuersa sub oris,  
Nec poterat fati certior esse mei.

An cum hoc suo marito?

144. STRUTHIOAMELV.] *Hominem oblongum fuisse opinor, collo cruribusq. gracilem: ut hodie id genus Ardeas vocamus.*

145. DEPILATVM.] *An quia toto corpore nulli huic homini pili? & obiter notat inter molles vulsosos, fuisse Struthiocamelo quidem in capite caluities, de quâ Plinius: Quædam animalium naturaliter caluent, sicut Struthiocameli.*

146. SIBI OBIECIT.] *Qui dissimulare eam & tegere vult, ipse conspicuam magis facit, & materiem sermonum. Sine & hoc sensu: ipse eius se arguit, qui obiectam abnuis & sedulo negat. Nam diuites, in tali conuicio rideant, aliter sibi conscij: isti ringuntur, & eo ipso agnoscunt.*

147. AD RISVM.] *Ex aliis capiendum, nam sequitur, venustum fuisse. Possis tamen & aliter: ut natus fuerit ridere, ob faciem & habitum; odio haberi, ob mores & vitia.*

148. PEDES SVOS.] *Podagra enim laborabat.*

149. FAUCES CONCISAS.] *Strumis scilicet excelsis.*

150. QVOS PLVRES.] *Cicero in eum: Odio enim tui, etsi omnes superare propter tuum in me seculus debeo, tamen ab omnibus ferè vincor.*

151. FRVCTVS CONTVMEL.] *Tertullianus, De Patientia, cap. viii. Nempe iccirco quis te lædit, ut doleas: quia fructus omnis lædentis in dolore læsi est. Ergo cum fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.*

152. ALIQVANDO PAR.] *Meus optimus: non deerit illi aliquando parem inuenire. Quæ germana est & elegans scriptura: ac vide quæ de hac phrasi 111. De Ira, cap. xxxvi.*

CAP. XVIII. 153. OMNES ALIQVA.] *Si detenes, lege: feriendo. Sed libri meliores: Omnibus aliquam notam ferendis.*

154. PALLORIS.] *Suetonius: Staturâ fuit eminenti, pallido colore.*

155. INSANIAM TEST.] *Quia fœdus pallor, & ab atrâ bile.*

156. FRONTE ANILI.] *Quisne forte asse rugosâ et si libri variant: & meus hauii; alij, simul referunt. Ex quo ego olim simâ, id est depresso & tacentente: sed nunc verius habeo, sub fronte simili. Oculi, inquit, torui & frons similis. Suetonius hoc approbat aperte: Fronte latâ & toruâ. Nam si anili etiam aut rugosa fuisset, cur silent?*

157. EMENDICATIS.] *Puto verum esse, & adsciticos externosq. crines tangi. An & ideo emendicatis,*



A qua<sup>158</sup> in patres<sup>159</sup> avosque suos contumeliosus fuit, per quæ in vniuersos ordines: ea referam, quæ illum exitio dederunt. <sup>160</sup> Asiaticum Valerium <sup>161</sup> in primis amicis habebat, ferocem virum, & vix æquo animo alienas contumelias laturum. Huic in conuiuio, <sup>162</sup> item in concione, voce clarissimâ, <sup>163</sup> qualis in concubitu esset vxor eius, obiecit. Dij boni, hoc virum audire, Principem scire, & vsque eò licentiam peruenisse, vt non dico consulari, non dico amico, sed tantum marito Princeps & adulterium suum narret, & fastidium: Chæreæ <sup>164</sup> tribuno militum, sermo <sup>165</sup> non pro manu erat, <sup>166</sup> languidus sono, & <sup>167</sup> infractâ voce suspectior. Huic Caius <sup>168</sup> signum petenti modò *Veneris*, modò *Priapi* dabat: <sup>169</sup> aliter atq; aliter exprobrans armato mollitiam. Hæc ipse <sup>170</sup> perlucidus, <sup>171</sup> crepidatus, <sup>172</sup> armillatus. Coëgit itaque illum vti ferro, ne sæpius signum peteret. Ille primus inter coniuratos manum sustulit: ille ceruicem mediam vno ictu <sup>173</sup> decidit: plurimum deinde vndique publicas ac priuatas iniurias vlciscentium gladiatorum ingestum est. sed primus vir fuit, qui minimè visus est. At idem Caius omnia B contumelias putabat, & sicut ferendarum impatiens, faciendarum cupidissimus. Iratus fuit Herennio Macro, quod illum <sup>174</sup> *Caium* salutauerat: nec impunè cessit primipilario, quod *Caligulam* dixerat. Hoc enim in castris natus, & alumnus legionum vocari solebat, nullo nomine militibus familiarior vniquam factus: sed iam Caligulam conuicium & probrum iudicabat <sup>175</sup> cothurnatus. Ergo hoc ipsum solatio erit, etiam si nostra facilitas vltionem omiserit, futurum aliquem, qui pœnas exigat à procace, & superbo, & iniurioso: quæ vitia numquam in vno homine, & in vnâ contumeliâ consumuntur. Respiciamus eorum exempla, quorum laudamus patientiam: vt Socratis, qui comœdiarum publicatos in se, & spectatos sales, in partem bonam accepit, risitque non minùs, quàm

tis, quia à loco ad locum quasi precario traductis & dispositis, ad implendum? Quidam tamen libri, medicatis, quod esset fucus tinctis: at meus, capitis destituti, & enudati, totis cap. Suetonius: Capillo raro, & circa verticem nullo.

158. IN PATRES.] Omnes libri, non displicat tamen cum Mureto, parentes. Certè & in matrem contumeliosus fuit: quam prædicabat ex incesto natam, quod cum Iulîa filiâ Augustus commisisset: Suetonius.

159. AVOSQUE.] Agrippam, cuius se nepotem neque credi, neque dici, ob ignobilitatem eius volebat. Idem.

160. ASIATICVM.] De quo Tacitus XI. Annal. (& nos tibi) quemque præcipuum auctorem interficiendi C. Cæsaris adfirmat.

161. IN PRIMIS AMICIS.] Ngm classes erant amicorum, prima, secunda, tertia.

162. ITEM IN CONCIONE.] Credamne? est enim omnia facta conueniunt in hoc monstrum; vix tamen D ea impudentia, vt in concione populi narrauerit adulteria. Et quæ occasio fuisse? aut si factum, cur non alius tam insigne hoc scripsit? Libri meus & alij: idem in concione. Fecerim, id est in conc. Senecæ enim hoc schema & auxesis est, interpretantis. In conuiuio, inquit, obiecit: quanto minus, quàm in concione? Nam multi in Principum mensâ conuiuia, & sermones illi per populû statim diuulgati. Placebat etiam aliquando, item in cognitione: sed omitto.

163. QVALIS IN CONC.] Non grata, non id quod nolo auerere. Nam vitium obiecit, ex eo apparet quod sequitur, de fastidio.

164. TRIBVNO.] Meus, contribuno.

165. NON PRO MANU.] Mollis & languidus: cum manus prompta & virilis.

166. LANGVIDVS SONO.] Alij, somno.

sed ad ipsum sermonem si refers, illud teneas: & verò tenendum est.

167. INFRACTA VOCE.] Vacillant libri, alij, infecta noxe: infecta nocens: meus, infecta noxe. Muretus ex Siculo: ni facta nosset. & probat, hoc sensu: Suspectior esse poterat, nisi facta nosset, quæ ab omni mollitie dissidebant. Mihi incidebat, è meo: in facta vxoria: vt pathicum honeste notet. Alioqui, infracta vox, probò etiam sensu, atque ea parum viros & eunuchos prodit.

168. SIGNVM PETENTI.] More militia, & vt Tribuno. Vide Suetonium, cap. lvi.

169. ALITER ATQVE ALITER.] Cum Venerem ei signum daret, vt femina; Priapum, vt qui virum quæreret.

170. PERLUCIDVS.] Mollium vestis, aut feminarum. Iuuenalis:

Acer & indomitus, libertatisque magister,  
Cretice pelluces.

Vide Senecam, epist. cxv. atque alibi.

171. CREPIDATVS.] In soleis, item femineum.

172. ARMILLATVS.] A Pinciano coniecturâ est, cui fulcrum hoc Suetony: Manuleatus & armillatus in publicum processit. Liber tamen meus, & plerique, auratus, quod item mulierum: vt in Propertio, Hæc nunc auratâ cyclade verrit humum. De Armillis tamen, quis etiam abnuat? & cultus ille inter parum viriles.

173. DECIDIT.] Ita libri, sed mallet Pincianus discidit. Vide Suetonium.

174. CAIVM.] Proprio nomine (etsi ita tunc solet: non autem Imperatorem, aut Cæsarem.

175. COTHURNATVS.] Est à Pinciano diuinante, sed rem profectò tangente. Nam libri, conturbatus. Suetonius: Modò in crepidis, vel cothurnis, modò speculatoriâ caligâ conspectus est.

quàm cum ab vxore Xanthippe immundâ aquâ perfunderetur. <sup>176</sup> At Iphicrates, cui A mater barbara & Thressa obiciebatur, respondit, & *deorum matrem Idæam esse.*

XIX. Non est in rixam colluctationemque veniendum. procul auferendi pedes sunt: & quidquid horum ab imprudentioribus fiet (fieri autem nisi ab imprudentibus non potest) negligendum. Et honores & iniuriæ vulgi, in promiscuo habendi sunt: nec his dolendum, nec illis gaudendum. Alioquin multa, timore contumeliarum aut tædio, necessaria omitemus: & publicis priuatisque officiis, aliquando etiam salutaribus, non occurtemus, dum muliebris nos cura angit, aliquid contra animum audiendi: aliquando etiam obirati potentibus, detegemus hunc affectum intemperanti libertate. Non est autem libertas, nihil pati. Fallimur. libertas est, animum <sup>177</sup> opponere iniuriis, & cum facere se, ex quo solo sibi gaudenda veniant: exteriora deducere à se, ne inquieta agenda sit vita, omnium risus, omnium linguas timent. Quis est enim, qui non possit contumeliam facere, <sup>178</sup> si quisquam potest? Diuerso autem remedio vteatur sapiens, affectatorque sapientia. Imperfectis enim, & adhuc ad publicum se iudicium dirigentibus, hoc proponendum est, inter iniurias ipsos contumeliasque, debere versari. Omnia leuiora accidunt expectantibus. quò quisque honestior genere, famâ, patrimonio est, hoc se fortius gerat: memor, <sup>179</sup> in primâ acie altos ordines stare: contumelias & verba probrosa, & ignominias, & cetera dehonestamenta, velut clamorem hostium ferat, & longinqua tela, & saxa sine vulnere circa galeas crepitantia. Iniurias verò, vt vulnera, <sup>180</sup> alia armis, alia <sup>181</sup> pectori infixâ, non deiectus, ne motus quidem gradu, sustineat. Etiam si premeris, & infestâ vi vrgeris, cedere turpe est: assignatum à naturâ locum tuere. Quæris quis hic sit locus: viri. Sapienti aliud auxilium est huic contrarium. Vos enim rem geritis: illi parta victoria est. Ne repugnet vestro bono, & hanc spem, dum ad verum peruenitis, alite in animis: libenterque meliora excipite, & opinione ac voto iuuat. Esse aliquem inuictum, esse aliquem in quem nihil fortuna possit, è Republicâ humani generis est.

176. AT IPHICRATES. ] *Vix videtur, quia patrem ei sutorem, & ignobile id genus tribuunt: at non de matre, quod sciam. Neque libri eò ducunt, qui meliores Antistheni mater barbara, habent. Sic ergo legatur, Pinciano etiam indice: & Diogene, in vitâ Antisthenis, auctore. Ελέγχο δὲ αὐτὸν Ἰθαζική. ἔδειν ἄπορτον ὄντα ἰσχυρῶν ἐστῶν, ἢ μὴ τὸν δὲ δὲ ἄνθρωπον φησὶν ἐστῶν. id est, ἢ ἄνθρωπον φησὶν ἐστῶν: Dicebatur non esse legitimus ciuis Atheniensis. quod cum obiceretur, reposuit. Et deorû mater Phrygia fuit. Opinio enim erat Thressâ matre natum esse. Tribuit eadē & Plutarchus, in extremo De exsil.*

CAP. XIX. 177. OPPONERE INIURIIS. ] *Meus & quidam, supponere: alij, superponere. Ne-*

*que illud prius male fortasse, quia non tam vult nos opponi, & resistere iniuriis; quàm subici, & patiendo vincere.*

178. SI QVISQVAM. ] *Est ex Publano illo imitatum: Cuius potest accidere, quod cuiquam potest. Sensus: Nemo tam vilis, tam impotens, qui iniuriam non possit facere, si admittimus, quemquam posse. Omnes, si vnus. Alij tamen rescribunt, si quidquam, me non sauent.*

179. IN PRIMA ACIE. ] *Nam ibi Centuriones, & militum primi. Vide Militiam nostram, lib. 111.*

180. ALIA ARMIS. ] *Allegoricè, rebus & opibus, quæ nos ambiunt.*

181. PECTORI. ] *Ipsis nobis, corpori.*